41397/B

DE VARIOLARUM INSITIONE PRÆLECTIO

HABITA

VI. Idus Novembris Anni MDCCLXVII.

AB HOMOBONO PISONI

Inſtitutionum Medicarum in Patavino Gymnaſio

PUBLICO PROFESSORE.

PATAVII, MDCCLXVIII.

APUD JO. BAPTISTAM PENADA EJUSD. GYMN. TYP.

Sup. Perm.

303606

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

TRIUMVIRIS

REI LITTERARIÆ MODERATORIBUS

SEBASTIANO JUSTINIANO ALOYSIO VALARESSO LAURENTIO MAUROCENO

Equiti, & Ædis D. Marci Procuratori

SENATORIBUS AMPLISSIMIS

Totique eorum Ordini Præſtantiſſimo

HOMOBONUS PISONI F.

D*Iſſertationem hanc, quam in inſtaurandis præteriti anni ſtudiis primam habui, veſtris inſcriptam nominibus ampliſſimis do, de-*

dicoque. De Variolarum Inſitione agitur, re ſcilicet jamdiu nota, & doctiſſimorum hominum ſuffulta rationibus, & plurium gentium experimentis confirmata, non ubique tamen, neque apud omnes Italos æquis animis recepta, ſed meticuloſius alicubi ſuſcepta, aut ſuſpecta adhuc, aut indicta cauſa proſcripta. Quare cum & præclari Inventi utilitas jampridem animum permoviſſet, & tuliſſet ordo Inſtitutionum, quarum ab Ampliſſimo Ordine Veſtro mihi collatum eſt munus, ut hoc anno Conſervatricem Medicinam, ejuſque partem Prophilacticam publice docerem, mearum partium eſſe duxi in ſingulari hac & ſola præcavendi morbi graviſſimi, adeo communis ratione primum verſari,

eam-

eamque explanare dicendo methodum, quæ ob inopiam Auctorum, & præſertim obſervationum hiſce in regionibus neque explorata penitus, neque uſitata adhuc apud nos eſt. In ſuſcipiendo autem Inſitionis patrocinio veſtrum egomet reſpexi, Triumviri Ampliſſimi, quorum auſpiciis ſtudia hæc noſtra foventur, reguntur que, & quorum is eſt animus, ea voluntas, ut per homines diſciplinarum cultui addictos, & ad inſtituendam juventutem a vobis delectos tollantur controverſiæ optimarum rerum progreſſus retardantes, vera & ſolida commonſtrentur, utiliorum uſus & cognitio, nova illa fuerint ſeu vetera, propagetur. Eo conſilio de utilitate, uſuque Inſitionis primum, in hoc Gymna-

ſio, coram eruditis ſelectiſque auditoribus orationem inſtitui non ita tamen mihi, aut meis rebus adblanditus, ut majore illam luce, lectuque dignam, & in vulgus emittendam putarem. Noveram etenim conatus ejuſmodi publica auctoritate & exemplis domeſticis fulciendos; nihil profici ratiocinando, alienas obſervationes aut incurioſe, aut dubitanter legi, perſuaſionem in hiſce rebus non obtineri verbis, ſed opere; matrum patrumque animos in regenda tuendaque ſuorum puſionum valetudine, ſenſu magis, quam ratione duci, ſenſu propterea ipſo obligandos per repetitas, oculiſque ſubjectas obſervationes; quare conatus qualeſcunque meos inanes evaſuros; & inutilium, quorum obruimur

co-

copia, auctum iri numerum. Hærentem ideo animum, & ab inanis gloriolæ captandæ ſtudio omnino averſum excitavit recens eorum, qui Publicæ ſaluti præſunt, in id converſa cura & cogitatio & Venetorum ſtudium, nulli genti impar in amplectendis iis omnibus, quæ aut vitæ commodis procurandis amplioribus, aut ſanitatis præſidiis unde undique mutuandis inſerviunt, in eo reliquis præſtans, quod neque fortuito quidquam, neque caſu, ſed expenſum diu, ſed compertum, ſed rationibus communitum amplectatur. Impulerunt auditi increbreſcere ſermones hominum, curioſiores jam in re hac & auctoribus perquirendis, quorum inclinatis jam animis addenda vis eſt, tanquam corpori in

motum acto impulſio nova. Acceſſit occaſio alienas obſervationes pauculis quidem, ſed noſtris & domeſticis cumulandi. Veſtra demum confirmavit humanitas, & auctoritas, Senatores Præſtantiſſimi, in excipiendis rebus noſtris ſingularis illa, iſta in tuendis validiſſima, ipſius etiam rei, quæ vobis dicatur, tenuitatem amplificatura. Quæ cum ita ſe haberent, jam nunc Prælectionem ipſam commentariolis cumulatiorem, ne quid videar in rebus controverſis fidentius quam verius aſſeruiſſe, & obſervationes Italo ſermone, vobis id innuentibus, conſcriptas & publicæ luci, & patrocinio veſtro committo.

Pat. V. Idus Aug. CIↃIↃCCLXVIII.

STU-

STudium tuendæ Sanitatis, & vitæ adeo a veteribus excultum fuit, ut jamdiu apud illos curandi, poliendi, exercendique corporis ſedulitas, & artificium in quandam fere luxus, & mollitiei ſpeciem deſciverit. Romani etenim, ut de cæteris ſileam, acceptam a domitis gentibus optimi cultus rationem tantopere amplificarunt; tam multo balneorum, geſtationum, ſoliorum, tantoque Gymnaſtices apparatu urbanas ædes, extructaſque villas exornarunt, ut in hoc quoque cæteris gentibus, quemadmodum imperio, gloria, opibus,

præ-

præſtitiſſe voluerint. Verum, ut ex frugali & moderato horum omnium uſu a Græcis ſapienter inſtituto ſanitas & robur corpori comparabatur, ita ex nimia cura & profuſo ſumptu animi ſenſim, & corporis debilitatio, ſegnities, exinde ſenſim incuria, mox totius ferme inſtituti oblivio ſuborta eſt. Inclinante etenim Romanorum imperio, aliis aliam orbis partem diripientibus, ſibique vindicantibus, publicæ, privatæque res variis legibus, dominis, moribus paruerunt, ac in tam multiformi ſocietatum nexu, & diſſimilitudine illud ferme æquale ac ſimile apud omnes conſtitit, ut inſigniores evaderent belli, quam pacis artes, nempe diſſolvendæ ſocietatis & vitæ, quam utriuſque conſervandæ ſtudium acrius fuit excultum. Quare ablegata ad ſapientes aliquos, aut medicos tuendæ ſanitatis cura, plerique mortalium perdiu, nonniſi ingruentibus morbis, imo jam furentibus,

me-

medicam opem expoſcebant . Lætandum enimvero eſt, Auditores, noſtris hiſce temporibus, uti reliquas diſciplinas, ita Conſervatricis medicinæ partem erroribus expurgatam, inanibus veterum Chymicorum figmentis liberam, utiliſſimis additamentis locupletatam, certioribus demum fundamentis innixam & tradi poſſe, & adhiberi. Quanto tamen plenius & effuſius lætandum foret, ſi non alicubi ſaluberrima Hygienis præcepta in ſcholis tantum, & Academiis, libriſque continerentur, ſed in publicos, & comunes, & familiares paſſim uſus traherentur? Inter multa ac præclara recentiorum inventa ad Prophilaxim morborum pertinentia, & quæ comune ſocietatis bonum reſpiciunt, nihil meo judicio diligentius expendendum, ac ſi prodeſſe conſtiterit, lubentius aſciſcendum, quam Variolas inſerendi Artificium, de quo prima hac hujuſce anni exercitatione ſum verba fa-

ctu-

ſturus. Neque vero novum aliquid, aut noſtris hominibus inauditum enuncio, quum Inſitionis dimidii & amplius ſæculi uſu & experimentis innixa late pervagata ſit fama, & a duobus primum Græcis, noſtris antea diſcipulis, Pylarino atque Timonio (1) in Europam diffuſa, & hic quoque a Cl. olim Valliſnerio noſtro exoptata comprobataque fuerit (2). Neque rem a meo munere abhorrentem ſuſcipio, quippe cum ad eum pertineat, qui Hygienem profitetur, quam ego ſum hoc anno traditurus, il-

(1) *Ex Actis Sacri Collegii Patavini colligitur Emmanuelem Timoni Proſyndicum Lauream obtinuiſſe in eodem Collegio more Nobilium anno* 1692. *die* 2. *Auguſti; & Pylarinum Cephalenum Patavii ſtuduiſſe P. Niceronus tradit.*

(2) Saggio delle Tranſazioni Filoſofiche della Soc. Regia Napoli 1734. T. v. p. 247. e p. 250. Lettere del Sig. D. Antonio Valliſmieri al Sig. Cav. Tommaſo Dereham 26. Decembre 1726. Utile ſarà la Traduzione della lettera del Sig. Jurin intorno all' Inneſto. In queſti Paeſi nulladimeno non ſanno indurſi alla prova, e i Medici non ardiſcono, imperocchè ſe uno ſolo moriſſe, ſarebbe la colpa del Medico..... V. Altra 16. Gennaro 1727.

illud ſaltem commendare dicendo, quod aliquem morbum nulla comuni prophilactica methodo facile evitandum, totumque fere mortalium genus afficientem, mitiorem reddere poſſit. Neque alienum quidquam ab hujus Academiæ inſtituto propono, quæ cum in amplectendis novis vel opinionibus, vel medendi rationibus ſapientiſſime cunctari ſolita ſit, nequid minus utile, minuſque exploratum amplectatur, ita in hac re vel aſciſcenda vel approbanda, neque novitate detineri amplius poſſit, poſt plurium annorum decurſum, neque poſt innumeras obſervationes, & experimenta dubia utilitate commoveri. Hiſce ego rationibus adductus ita rem pertractare aggrediar, ut nihil temere pronunciando, quædam ad Variolarum ortum & naturam pertinentia proponam, mox Inſitionis utilitates commonſtrem, has adductis in contrarium rationibus conferam, hæc om-

omnia obſervationibus, & experimentis in bono lumine collocem. Quod dum facio, quæſo vos, diligenter attendite.

Pleroſque morbos, qui novi audiunt, & contagio propagantur, alicubi fortaſſe indigenas & endemios olim extitiſſe, mox aucta populorum communione, commutandarum rerum opportunitate, peragrationibus terra marique ulterius provectis, ex diſſitis Regionibus, & multigenarum gentium contuberniis atque conſortio una cum moribus, ſervis, fæminis, mercibus huc illucque aſportatos, & communiores evaſiſſe, Hiſtoriæ ſuadent, & ratio confirmat. Nam cur aliquod ægrotationis genus plane novum in tam conſtanti & æquabili totius univerſi conſtitutione exoriri poſſe judicemus? Variolarum pariter morbum ex iis eſſe, qui & contagio ſuſcipiuntur, & primitus per populorum commercia paſſim diſſeminati ſunt, nemo, ut opinor, inficias ibit, qui ſa-

ſapientiores ex antiquis, & recentioribus auctores conſulat, & animadvertat morbum hunc interiori forte Æthiopiæ congenerem, mox in Arabiam, totamque Aſiam pertranſiſſe; ex inſigni poſtmodum illa Europæorum in Palæſtinam expeditione anno milleſimo nonageſimo in Europam devectum, lateque graſſatum; in America non prius, quam illuc Hiſpani appulerint, deſævientem; in Grœlandiam nonniſi a quadraginta annis migraſſe (3). Quare ſi illi demum morbi novi ſunt dicendi, qui antiquitus in remotiſſima aliqua regione deliteſcentes eruditis deſcriptoribus ac Medicis caruerunt, nec niſi cumulatis ſtragibus, & contagione inter excultas quoque gentes latius ſerpente, innotuerunt, non laboro ſi,

(3) Mead. de Variol. & Morbil. C. 1.
Jacobi a Caſtro Med. Londin. Diſſert. de Inocul. 1722.
Freind. Hiſt. Medic.
Gatt. C. 1. Prèjugès ſur la Nature de la petite Verole 1764.

ro , ſi quis hunc, uti Luem Veneream, morbos novos velit appellare. Nam profecto quæcumque aliqui cum Zacuto Luſitano, Hahnio, aliiſque eruditione præſtantibus viris ex antiquiſſimis monumentis expiſcari, Græciſque Medicis, accuratiſſimis cæteroquin eorum, quæ noverant, enarratoribus eruere conati ſunt, ambigua plane, & leviſſima ſunt tam Luis Venereæ quam Variolarum indicia, neque tanti facienda, quantum progreſſu temporis peculiares aeris, ſoli, gentium, litterarum quoque conſtitutiones in tam diſtinctas ab omnibus & ſingulares, & pluribus communes morbi ſpecies exhibendas contulerunt (4). Facilis horum morborum occurſus, auctuſque in dies

(4) *Concedunt Cl. viri Aſtruc de Lue Venerea C. VII. & X., & Werlhof de Variolis & Anthracibus C. 1. ejuſmodi morbos ante commercia in aliqua regione endemios latere potuiſſe, ut in Inſulis Antillis luem antequam illuc appelleret Criſtoph. Columbus anno* 1492. *Variolas autem apud Nigritas, vel interioris Aſiæ Incolas, ante expe-*

dies ægrotantium numerus in cauſa fuit, ut in eorum naturam inquirendam, ac profligandam ſævitiem jamdiu Medici incubuerint. Quam diſſimili tamen fato utriuſque morbi curationes progreſſæ ſunt? Recentior Venerea Lues, idem corpus ſæpius affligens, nec niſi proximiori & craſſiori ita dixerim contagio ex conſilio fere ſuſcepta, ideoque haud omnibus communis, ſuadente forte ipſa, & appetente remedia mortalium libidine certius & promptius præſidium, cruciatu licet aliquo, & accitis arte moleſtiis intermixtum, nacta eſt. Variolæ autem antiquius evolutæ, tenuiore halitu ſuſceptæ, non minus lethales, mortales fere

 om-

expeditionem Europæorum, & bella cum Saracenis ſuſcepta anno 1090.; ſed tamen novos dici poſſe exiſtimant, cum utriuſque morbi contagioſi initium inter Europæos certo conſtet, & neuter morbus apud Græcos, Latinoſque Medicos vetuſtiores inveniatur deſcriptus, & adducta Herodoti, Hippoc., & Sac. Litter. teſtimonia a Guillelmo BecKetto Londinenſi pro antiquitate Luis, & Hahnio pro Variolarum vetuſtate pugnantibus alios plane morbos deſignent.

omnes ſerius ocyus ſemel ſaltem afficientes, innumeris curandi rationibus perdiu exagitatæ nullam fere adhuc certam, ſtabilemque methodum compererunt. Hinc Medicorum diſſidia de earum natura & cauſis, hinc tantus in præſtandis remediis diſſenſus, interea plurimorum clades & luctus, & convicia populi in Medicos, inque Artem, licet omnis plane criminis expertem. *An perditio tot ægrorum, magnitudo mali poſt vulgata auxilia applicata fruſtra non excitet ſemper boni Medici ſollertiam? Vulgata quippe methodo nullus niſi ſponte emergit*: ajebat Boheravius ſua certe diuturna & infelici experientia edoctus in curandis Variolis ſæpius ſpem omnem, artemque fallentibus vel exquiſitam. Excitabatur enimvero populorum ipſorum ſollertia tunc maxime, cum hæc conſcripſerat Boheravius, adeo ut inventi utilitate permotus huic Aphoriſmo poſtremis temporibus recu-

recuſo addiderit. *Prophilaxim inſitivam ſatis certam ac tutam videri* (5). Nam apud Georgianas aut Circaſſias gentes, ut augerent reditus ex inſigni ſuarum mulierum divenditarum forma provenientes, quæ ſæpius a Variolis deformabantur, aut inventa primum aut a finitimis regionibus recepta inſerendi methodus in Europam ſenſim transferebatur, utilioribuſque in dies additamentis effulgebat, non longe ſcilicet ab iis Regionibus, a quibus morbus, morbi quoque ipſius curatio, ut in Lue Venerea, proveniebat (6). Neque mirum

B 2 apud

(5) *Aph.* 1403. *Prima Editio Aph. Boher. prodiit Lugdun. Batav. anno* 1708. *Tertia ibidem ab ipſo Auctore emendata & aucta anno* 1719. *Huic adjecit Auctor* Prophilaxim Inſitivam *&c. Vide ſynopſim vitæ Boher. ex ipſius Schedis erutæ, & varias Aph. Editiones relatas in Edit. Veneta apud Laur. Baſil. anno* 1757.

(6) *Ex Hiſpaniola, & Inſulis Antillis, unde Lues, etiam Ligni Guajaci uſus adverſus illam primum ductus; ex Tartaris, Circaſſis, Georgianis, aliiſque interioris Aſiæ Incolis, aut iis finitimis, unde Variolæ, etiam Inſitionis artificium ortum duxit. Vide Tranſact. Reg. Societ. num.* 339.; *ibidemque Epiſtol. Emmanuelis Timoni Inſitionis Hiſtoriam referentis anno* 1713.

apud ineruditas ac barbaras gentes ejuſmodi methodum invaluiſſe, uti inſigniores alias curationes jamdiu in medicos uſus receptas, quippe cum rude vulgus non adeo acriter ratiocinetur, quin protinus ad uſum, & experientiam breviſſima via, & ſimpliciſſima ratione confugiat, eaque trutina adhibita in utrumque ſit facile pronum ſeu abiiciendi, quæ invenerit, ſeu retinendi. Priuſquam igitur de rationibus cogitatum foret, reſpondit eventus, & fortuita experimenta auri potius quam vitæ ſtudio inſtituta novum excitandi Variolas artificium commendarunt. Et ſane cum hic morbus, non ut reliquæ contagionum ſpecies fere omnes comuni prophilactica methodo averti poſſit, & quocumque fugias, inſtet hoſtis, illud reliquum erat, ut excitatus arte mitior redderetur. Quidni autem miteſceret, cum priuſquam morbo fomes acceſſerit ab intemperantia, a libidine, a variis

men-

mentis, & corporis aberrationibus, ejuſdem levis evolutio opportuno tempore, loco, ætate, prægreſſa debita præparatione, per pus melioris indolis promoveatur? *Ante languorem adhibe medicinam*, monuit Ecl. C. 18. nempe antequam morbus ingruat; Omnia in ancipiti eſſe, *occaſionem præcipitem*, *experimentum periculoſum*, *judicium difficile*, ubi naturales morbi præſertim acutiores invadunt, quis non cum Hippocrate ſentiat? Ubi vero cauſam aliquam jam aliquid acturam corpori ineſſe certo ſcimus, attendimus ad omnia, placideque proſpicimus, *ac mixtum quodammodo exſurgit opus ex curatione & præſervatione*, uti præclare Galenus in Com. 11. ad Hip. Aph. animadvertit. Et quoniam omnes, quotquot ſunt, naturales morbos artificialibus ſanari, aut levioribus artificialibus inductis præcaveri, clariſſimorum virorum ſententia eſt, eoque demum recidunt, cauteriorum,

purgantium, venæ ſectionum, emeticorum, aliorumque uſus, ut abnormes naturæ motus, aliis excitatis mutationibus, aut compeſcantur, aut prævertantur, aut avocentur; & cum duplicem adverſus ea, quæ veneni vim habent, Prophilaxim Mercurialis proponat, unam ne nos afficiant, alteram, ubi id fieri non poſſit, veluti in Variolis, ut eorum impetus retundatur; jam ex his omnibus plane colligitur tot monitis tot fundamentis innixam Prophilaxim medicam & inſtitutam recte in omnibus morbis, & in Inſitarum quoque Variolarum curatione adhibitam tuto ac feliciter proceſſuram. Exoptaverat Boheravius, ut qui Variolis corriperentur, laxam, mollemque cutem, & cutis vaſa pervia, & humores dilutos ac fluidiores habuiſſent. Talia autem cum præſtet totum illud præparationis ad Inſitionem artificium, aut ita conſtituta, aut facile in hanc conſtitutionem

re-

redigenda corpora is ſeligat, qui apte Variolas eſt inſiturus, exinde præcipue, ut cum Cl. Huxham loquar, *hujus operationis optatus dependet ſucceſſus*. Non ignoro ea ſæpius ætate naturales Variolas aggredi, quæ optimam ſolidorum, fluidorumque diſpoſitionem præſeferat, & proinde paucos aliquos vix ope medica indigentes perſanari; at illud quoque ſcio, & hoc incertum eſſe, & Epidemias teterrimas non raro graſſari, & morbum ipſum per ſe eſſe graviſſimum, & pleroſque vel ea ætate in ſummum vitæ diſcrimen adduci. Excreſcunt etenim contagii caſu ſuſcepti vires, ſive quod innumeræ fiant aberrationes in vitæ victuſque regimine ab iis, qui nil tale putantes ſuſceptum virus intus fovent, ac ſecum gerunt; ſive quod immiſſa corpori naturalis halitus morbiferi vis per inſpirationis, aut deglutitionis, aut inhalantium pororum vias interioribus partibus, & nobilio-

liori alicui organo inhæreſcat, ac veluti defigatur. Hinc tot ſæva ſymptomata inflammationem ſtomachi aut pulmonis indicantia, quæ ſe ſæpius obſervaſſe queſtus eſt Vanſwietenus (7); hinc interni dolores eruptionem retardantes, Sydenhamio teſte, hinc malignioris cujuſdam putredinis ſigna, eodem auctore; hinc demum peſſimæ nervorum, & cerebri affectiones, teſte Meadio (8). Singula, A, morbi ſtadia percurrite. Jam eruptionis tempore quanta pernicies in-

---

(7) *VansWiet. Comm. in Boh. Aph.* 951. *Quandoque & Variolas peſſimas talia ſymptomata comitantur, quæ metum faciunt ventriculi inflammati: hinc adeo ſuſpectum ſignum habetur in Variolis, ſi poſt eruptionem anxietas, vomitus, ardor circa præcordia adſint: metus enim eſt ne et puſtulæ Varioloſæ ipſum ventriculum obſideant, & periculoſam ibi inflammationem faciant.*

(8) *Sydenh. Variol. Regul. anno* 1667. 68. *Cap.* 2. *Acutiſſimus dolor nunc in Regione Lumborum, nunc in latere, nunc in artubus, nunc denique in Ventriculo cum ingenti ægritudine, & vomitu enormi ante eruptionem ægrum fatigat, angitque. Hiſce in caſibus Variolas ſolito ſerius erumpere animadverti, utpote ab immani dictorum Symptomatum violentia impeditas. Sydenh. de Feb. Putrid. Variol. confluentibus ſuperveniente. Mead. Cap.* 2. *de Natura & generibus Variol.*

intenditur a febre ingenti, a puſtularum erumpentium copia, a conſociatis ſymptomatibus, anxietate, vomitu, delirio, totius corporis vehementiſſima jactatione & ſpaſmo? Probe jam matureſcentibus puſtulis, remiſſiſque omnibus moleſtiis mortem minitantibus, vix dum ſalutis ſpes aliqua effulget, cum nova febris exardeſcit ob impeditam perſpirationem a cruſtis totam fere corporis ſuperficiem obtegentibus, & a reſorpto pure vita ſæpiſſime intercipitur? Relicta vero morbi veſtigia, dehoneſtamenta formæ, ſolidorum, viſcerum, & ſenſuum depravationes ac vitia nullo amplius vitæ tempore delenda nonne peſtiferam acuti morbi indolem teſtantur? Teſtantur enimvero, imo ſuadent, ut ſævitiem morbi tantam omni ope effugiamus. An adhuc egemus teſtibus? Quodnam aut luculentius, aut præſentius teſtimonium, quam inſignis & recens ac ter repetitus Auſtriacæ Do-

mus

mus luctus, diremptæ jam proximæ nuptiæ, totius Italiæ expectatio & gaudia ob eam cauſam in aliud (nuper elapſum) tempus dilata? Non hæc remiſſam hoc tempore, ut aliqui putant, ſed permanentem adhuc & æque lethalem morbi indolem teſtantur. Totus ſuffragatur orbis, tota quanta quanta eſt Medicorum ſcriptorum turba conſentit, qui hunc morbum & graviſſimum eſſe, & periculoſiſſimum uno ore pronunciant. Aſſerit Sydenhamius, in Ep. ad Guil. Cole, quæ collectio eſt egregia ſuarum obſervationum de Variolis *omnem ſalutis ſpem in exanthematam paucitate, diſcrimen in eorumdem multitudine conſiſtere.* Quare ſi conſulto ſelectum pus in apte diſpoſitum corpus immittatur, non modo illa omnia evitari poterunt, quæ fortuito occurrentia maligniorem naturalem morbum reddunt, ut ſuperius innuimus, ſed etiam per tranſactam acu, inciſamve ſcalpro cujuſ-

juslibet artus ſummam cutem (quæ uſitatior, commodior, & fructuoſior meo judicio eſt inſerendi ratio) a viſceribus nobilioribus avertetur morbi fomes, quaſique centrum, & in exterioribus defigetur (9). Porro exinde conſequens erit, quod cum experientia, & innumeris Inſerentium obſervationibus conſentit, ut paucæ plerumque puſtulæ, & tardius, quod pariter veluti lenioris morbi ſignum Sydenhamius, & Le Duc (10) propoſuerunt, exerantur, hinc nulla puris reſorptio fiat, nullum perſpirationis impedimentum, ſecundaria febris adeo

(9) *Mecum ſentiunt plerique ex veteribus, ac recentioribus Variolarum Inſitoribus. Inciſionem ſcilicet in quolibet artuum reliquis præferunt artificiis; Nam levis frictio, aut leviſſima epidermidis elevatio nullam aut anguſtiorem viam aperit effuſioni puris Varioloſi, amplius vero latiuſve redditum quavis arte vulnus uberius & maturius ſanos humores effundit, appoſitum virus promte nimis diluit, diuturniorem curationem poſcit, tardius ad cicatricem perducitur. Vide Gujot Genevenſem:* Mem. dell' Accad. di Chir. T. II. Targioni Relaz. d' Inneſti. Manetti Sez. 2. Cap. XXX. Trattato dell' Inocul. Zulatti Cap. XXI. Notizie degl' Inneſti.

(10) *De Byzant. Variol. Inſit. Diſſert.*

adeo in naturalibus pernicioſa maturationis tempore, aut nulla, aut mitis admodum in artificialibus evadat, quod bonum emananti tunc affatim ab Inſitionis loco puri acceptum ferendum eſt. Neque illud parvi faciendum, quod hic morbus fere ab omnibus aliquando ſubeundus, quemque adultiores ſummopere ac merito exhorreſcunt, tenella adhuc ætate quippe inſitioni aptiſſima, arte evocatus in cauſa ſit, ut reliquum vitæ ſpatium omnis ſollicitudinis, ac metus expers tranſigatur. Quo loco non poſſum, quin quorundam patrum, matrumque familias divitiorum præſertim a præjudicio ductum morem redarguam, quæ ubi domeſticus aliquis Variolis corripitur etiam mitioribus, puerulos natoſque a communione omni arcent protinus, atque conſortio, tantaque cura efficiunt, ut morbus in adultiorem ætatem dilatus, aut ad deteriora Epidemiarum tempora reſervatus

le-

lethalis certius evadat. Tot ac tanta moleſtiarum genera genitoribus, aſſidentibus ad ægros, ægrotantibus, aut ægrotaturis, ſuſcipientibus ac ſuſcepturis contagium per Inſitionem auferuntur. Ex qua illud etiam bonum provenit, ut is non alius morbus erupturus prænoſcatur, omniſque tollatur ambiguitas, quæ ſæpius in naturalis ortu ob dubia & communia aliis morbis ſymptomata in cauſa eſt, ut medentes præſertim operoſi & audaciores vel in diagnoſi vel in curatione fallantur. Quæ adhuc a nobis commemorata ſunt Inſitionis comoda non efficta animo, aut ſubtilius quam verius excogitata, ſed innumerabilium populorum ſuffragiis & experimentis innixa, & ex clariſſimorum Auctorum obſervationibus deprompta ſunt. Quid tamen cauſæ eſſe dixerim, Aud, cur adeo ſalutaris ac plana methodus uſu & experimentis comprobata, alibi Principum juſſu adſcita,

do-

doctiorum alibi conſenſu & conſpirantibus Medicorum judiciis confirmata, inque uſum recepta, alicubi adhuc meticuloſius & nutantius adhibita, aut ſuſpecta alibi, ac plane inviſa videatur? Multa quidem olim, ne quid diſſimulem, a Religione ducta, ſeu potius a fatali quadam Turcarum (11) in morem ratiocinatione pias hominum mentes ab ineunda Inſitione abſterruerunt, quæ lubens omitto, quippe cum hæc dimiſſa jam a Pariſienſibus Theologis quæſtio in noſtra plane jura conceſſerit (12). At

(11) *Soli Turcæ utpote Fati decretis addicti minuſque dociles hanc Methodum neglexerunt huc uſque. Pylarinus anno* 1715. *hæc ſcribebat. Vid. Not. n.* 30.

(12) C' eſt à Paris, qu' en 1724. neuf Docteurs en Thèologie ont dècidè que l' Inoculation n' ètoit point contraire aux principes de la Morale & de la Religion. Introduction de M. Gatti Lib. cit.

Præter Sorbonenſes Theologos alii etiam aliis in regionibus litem hanc dijudicarunt. Vide ſpecimen Apologeticum Caroli Chais Theol. Hajæ 1754. *Gallico ſermone conſcriptum, & Ep. Dan. Cox Londini edit. anno* 1757. *Rem hanc omnem docta & eleganti Itala diſſertatione diſcuſſit Vir Doctis. Rev. P. Laur. Berti PP. Piſanus.*

Hanc

At erectos jam animos ad conceſſam acerbiſſimæ humano generi luis prævertendæ, ac profligandæ artem deſpondere jubent auditæ nonnullorum querelæ, deque optima ſpe dejiciunt ex iis ipſis aliqui, penes quos eſt integra de rebus medicis judicandi poteſtas. Nam neque nos redituri morbi metu ſolutos, neque a ſummo vitæ diſcrimine per Inſitionem ſartos tectos volunt eſſe. Quare jactata ac præconcepta animo Inſitionis comoda in nihilum recidunt. Quinimo & imparatam proritari naturam, & deteriora exinde mala pertimeſcunt, & morbos alios una cum inſito pure in humana corpora intrudi pronunciant. Cane igitur pejus & angue, inquiunt, effugienda methodus a barbaris gentibus inſtituta, teme-
re

Hanc typis Mediol. edidit, & Commentariis ac Præfatione illuſtravit Joannes Calvi anno 1762. idem ſenſerunt Cl. Viri Fr. Raym. Adami PP. Piſanus, & Dominicus Veraci Florentinus, quorum opinio in eodem Libro continetur.

re ſatis a populis audacioribus arrepta, nullumque demum bonum, imo plures noxas præſtitura. Placide iſta parumper, & collatis experimentis ac rationibus expendenda. Nam ejuſmodi ſunt, quæ me non parum commoveant, ac moneant, ut contentis orationis viribus enitar, ne quid adhuc vobis impoſuiſſe potius dicendo, quam vera enarrando videar perſuaſiſſe (13).

Redituri morbi opinio duplici potiſſimum fundamento innititur, quorum alterum a ratione ductum, ab experimentis alterum. Si rationes conſulimus, magno quidem illæ ſcientiæ medicæ apparatu inſtruuntur, ſed ob nimium contentionis ſtudium in devia abreptis Auctoribus ſecum pugnantes,

(13) *Hæc fere ſunt, quæ nonnulli paſſim obijciunt: & præſertim vir Doctiſ. Prof. P. Vindobenenſis Antonius de Hæn in quæſtionum formam redegit, & orbi medico diſſolvenda propoſuit; diſſolvit optime Doctiſſ. Tiſſot in Epiſt. edita Loſanæ anno 1765.*

tes , & iſtæ quidem ſubtilius quam verius excogitatæ deprehenduntur. Quomodo enim iidem, qui actuoſam adeo immiſſi puris vim accuſant, ut plures per eam certius affici, & propagari ea ratione contagium inter homines, & alios cum eo morbos communicari contendunt, cur inquam iidem tam facilem recidivam pertimeſcunt? Vel enim diſſimilem a naturalibus inſitarum Variolarum indolem fateantur neceſſe eſt, vel ſi eamdem eſſe concedant, eoſdem ab utraque effectus conſequi neceſſe eſt. Profecto diſſimiles eſſe morbos tam ſimili facie, ſignis iiſdem, iiſdem ſymptomatibus, licet mitioribus, conſociatos nemo ſanæ mentis dixerit. Quomodo autem ipſum Variolarum ſemen non ſuum, ſed alium diſſimilis generis morbum procreet? Contagioſi etenim morbi, ac venena fere omnia, quacumque demum via ſuſcipiantur, manifeſtas ſemper ſui notas, & ſimiles morbos exerunt, ne-

que a bubone Hydrophobia, aut ab hac lues unquam producitur, uti neque a Plantæ alicujus ſemine ubivis ſato alterius generis Planta ſubnaſcitur. Similis igitur naturali erit artificialis morbus, & ideo effectus ſimiles utriuſque. Quare cum ex conſtanti obſervationum ſerie, ex conſenſu omnium tam veterum, quam recentiorum Medicorum, ipſiuſque populi, quaſi naturæ voce, conſtiterit, ſemel paſſos naturales Variolas, non amplius iis obnoxios eſſe, proindeque illos omni cavendi cura, metuque liberari, cur eodem, uti oſtendimus, morbo per Inſitionem perfunctos, tam pulcra ac rationi congrua ſpe deſtitui velimus (14)? Qualiſcumque ſit illa mutatio, quæ vel

(14) Si quelqu' un a eu une vèritable petite Verole, il peut paſſer le reſte de ſa vie avec gens attaquès de cette maladie, ſans craindre que jamais il la reprenne. Tiſſot Lettre a M. de Haen. *Hæc animi ſecuritas vera eſt, & ex communi, & populari, & vera obſervatione fluxit.*

Si

vel ab una puſtula, vel etiam abſque puſtulis Boheravio, & Vanſwieteno Auctoribus, a ſola Varioloſa febre (15) (quam Deus aliquis noverit) corpori infertur, ob quam poſtmodum eidem cauſæ, licet ſæpius advenienti, corpora obſiſtunt, eadem inquam mutatio etiam ab artificialibus afferetur, niſi forte ea facultas paucis per artem excitatis puſtulis adimatur, quæ uni naturali paſſim conceditur. Ex quo jam illud efficeretur, ut minus actuoſa foret immiſſi puris vis, ſin minus diverſa natura, in quo pugnantes ſecum adverſariorum rationes deprehenduntur, qui & teterrimos ab Inſitione effectus pertimeſcunt, ſimulque ineptos ſuſpicantur delendæ ad hunc mor-

C 2 bum

Si forte quiſpiam in tota vita immunis, aut alius in hos affectus ſæpius inciderit, ſunt hæc rara & inuſitata naturæ eventa, quæ communi obſervationi minime derogant Th. Willis. C. XV. de Febr.

(15) *Boher. Aph.* 1393. *&* 1395. *& in Comment. Cl.* Vanſ*Wiet. ad Aph.* 1110.

bum diſpoſitioni. Non amplius itaque lætandum cum Cl. Sydenhamiò, ubi paucæ puſtulæ erumpunt, ſed dolendum cum iſtis non ſemper omne mortalium genus graviſſima & peſſima confluentium Variolarum ſpecie divexari. Quippe cum idem ſit morbus tam artificialis quam naturalis, reliquum erit, ut ubi mitiores naturales Variolæ apparuerint, non ſatis evolutus ac radicitus extirpatus morbi fomes relinquatur, novam alias eruptionem pariturus. Video equidem, Aud, totum hoc timoris ac reditus diſcrimen propoſitum tacitæ cuidam ſententiæ & præjudicatæ opinioni immaturi ſeminis, imperfectæ evolutionis, & deſpumationis inniti. Ubinam igitur latet ejuſmodi Variolarum ſemen, in ſolidis ne an in fluidis? An generationis ope propagatur? Cur non ſemper extitit, aut comunius antiquitus, aut non ab omnibus nunc, nemine excepto, fovetur? Quod ſi deſpuma-

matio veluti quædam, & depuratio humorum conſtituatur, an quod ea caruerunt ex antiquis plerique, imbecilliores, brevioris ævi, aut valetudinarii per totam vitam extiterunt? Cur pauciſſimi nunquam, alii ſerius, & adultiores deſpumantur (16)? Porro cum ſæpius toto vitæ tempore reſtaurentur ſanguis & humores, non video cur non eadem ſæpius renovatione & purgatione Variolarum ope indigeamus. Abjiciamus itaque omnes iſtas de Variolarum natura præjudicatas opiniones, & quæ comunis eſt contagionum ratio forinſecus advenientium, paſſimque recepta, eandem & Variolarum eſſe conſtituamus. Hoc & Hiſtoria hujus

 mor-

(16) *Norunt peritiores quid per hæc nomina intelligendum ſit, neque aliud, quam ipſam a nobis indicatam diſpoſitionem intelligunt. Optandum tamen eſſet ut ſapientiorum Medicorum conſenſu omnis in rebus Medicis, & Ætiologia morborum vocum ambiguitas tolleretur. Nam facile reſpondentes nominibus ideæ ſubnaſcuntur, hærent animo, uſu & repetita uſurpatione, non modo vulgus hominum, ſed etiam Medicorum, ac præſertim diſcentes in errores inducunt.*

morbi, & indicatæ ſuſceptionis viæ, & ſimilitudo cum reliquis contagionum ſpeciebus confirmat, & felix idipſum ſuadet Inſitionis eventus. Non negaverim tamen neceſſariam eſſe ſuſcipientis diſpoſitionem, a qua venenorum omnium & contagionum vires vel acuuntur, vel obruuntur. (17)

Quippe videre licet pingueſcere ſæpe cicuta
Barbigeras pecudes homini quæ eſt acre venenum.
Luc. L. V.

Verum iſthæc diſpoſitio omnibus nunc fere communis, poſtquam eam cientes halitus late diſſeminati ſunt, minime in humore aliquo occulto, aut neſcio quo germine latet, ſed in tota ſolidorum fluidorumque conſtitutione conſiſtit, neque prius deletur, quam hic, non alius motus, talis,

(17) *Doctrina hæc locum habet non modo in diverſo viventium genere, ſed etiam in eodem. Plures homines ab eodem rabido cane demorſi, plures in eodem peſtilenti aere degentes neque eodem tempore, neque eadem vi afficiuntur, alii nunquam.*

lis, non alia mutatio contingat, & motus & mutationis illius effectus, Variolæ ſcilicet exerantur. Seu inviſibili halitu, ſeu Inſitione ſuſcipiatur contagium, is in corde primum, ac ſolidis fluidiſque partibus motus cietur, a quo quilibet ſanus humor in exteriora, ac pervia minima vaſcula compulſus, excalefactuſque ſtagnando putreſcat, majorem putreſcendo molem acquirat, diſtrahat impoſitam cuticulam, & in puſtulas abeat Variolarum nomine definitas. Quare, ubi is jam morbus prodierit arte vel caſu excitus, peculiaris illa mutatio peracta eſt, omniſque exhauſta diſpoſitio. Ut autem mutatio iſta maturius, ac certius, & lenius peragatur, neve impedita diu, aut cohibita, a fortuito peſtifero halitu importune evocata, tandem per vitæ vires vehementius excitas, ac ferme ad interitum ducentes abſolvatur, inſitio proſpicit, & Inſitioni præmiſſa præ-

paratio. Satis, ut opinor, rationibus evicimus, reditum morbi ex Inſitione minime eſſe timendum. At quoniam ad experimenta provocant, qui recidivæ metum incutiunt, & huic altero firmiſſimo quidem in rebus medicis dijudicandis fundamento innituntur, huic nos quoque parumper inſiſtamus. Lubens igitur do atque concedo, quod aliqui in dubium revocarint, (ut de nonnullis ac recentibus Hiſtoriis merito dubitatum fuit *) Do inquam atque concedo paucas illas obſervationes Variolarum artificialium reditus afferentes veras eſſe. An idcirco perſuaſiones Hominum, & Medicorum rationes a contrariis raroque contingentibus, ne dicam ſæpius commentitiis elicientur, non a frequentioribus exemplis deducentur? Quid enim, inquit Meadius, ſingulare exemplum certum licet & explora-

ra-

* *V. Not.* 26. 41.

ratum efficiet, quum in aliis fere innumeris id genus experimentis nihil tale unquam uſu ſit compertum (18)? Non defuerunt naturalium etiam bis terve redeuntium exempla, ſi Diemerbroekio, Foreſto, Mercuriali fides, (19) nondum tamen ex raris eventubus, ac monſtri fere loco habendis opinio illa alte omnium animis impreſſa, & veluti a natura hauſta inter homines deficit, ob quam ſemel paſſi Variolas ab omni reditus metu conquieſcunt. Ducimur, Aud, in medicis rebus pertractandis, præſcribendis remediis, praxeos præceptis ſtabiliendis exemplorum in idem conſen-

(18) *Mead. C. V. de Variol. Inſit.*

(19) *Neque deſunt exempla apud recentiores etiam. Pauciſſimi tamen ex peritioribus Medicis reperiuntur, qui veras & legitimas Variolas bis rediiſſe obſervaverint, qui utraſque viderint, iidemque curaverint; Hinc non omnes, etſi paucæ adhuc ſint, quæ leguntur, aut feruntur, recidivæ veræ ſunt, ſed errore ſæpius domeſticorum aut mulierum exanthema quodlibet alterutra vice pro Variolis facile habentium evulgantur.*

ſentientium numero & copia, neque aliud eſt in diſciplina tot conjecturis innixa tutius veritatis κριτήριον, neque alia eſt Medica, ac illa in Societatis commoda, uſuſque recepta civilis totius prudentiæ ratio in ſanciendis legibus, regendis populis, civilibus officiis explendis adhibita. *Ut enim leges*, dicam cum Cic. de Fin., *omnium ſalutem ſingulorum ſaluti anteponunt, ita vir bonus, & ſapiens, & legibus parens, & civilis officii non ignarus utilitati hominum pluſquam unius alicujus, aut ſuæ conſulit.* Huc accedit non ex Inſitione, imperfectiſque Inſitionis viribus illum, ſi quando contigerit, reditum morbi eſſe repetendum, ſed ut agitur de corpore admodum mutabili, & ab externarum rerum appulſu multimode laceſſito, peculiari potius alicujus, pravæque conſtitutioni, ſimulque appellentis contagii viribus eſſe tribuendum. Quæ conſtitutio aut prava diſpoſitio, ſi prænoſci ali-

aliqua ratione poſſet, monente Tiſſoto, repetita etiam inſitione tollenda eſſet. Cæteroquin non defuit in hac re hominum induſtria, præſertim cum primis Inſitionis temporibus inter excultas gentes, nihilque temere arripientes omnia hæc multiplici experimentorum genere explorarentur. Plures Variolas naturales paſſi, plures ab artificialibus perſanati, plures abſque ullo effectu alias Inoculati ſibi iterum pus inſeri voluerunt, neque horum ulli Variolæ prodierunt (20). Hoc ex obſervationibus Clariſſimi Kirkpatrik, aliorumque colligitur. Quinimo illud ex poſtrema obſervatione, & poſt certum aliquem amplioremque conſtitutum mortalium numerum, ex

(20) *Operæ pretium eſt in re alicubi adeo controverſa, neque aſſerentibus tantum facile concedenda nonnullas Hiſtorias addere ex ipſis Auctoribus excerptas, qui ſuas, aut aliorum certas hac ſuper re obſervationes attulerunt, ac primo aliquas Cl. KirKpatrich. ex Anglico Latine redditas.* *p.* 119.

ex ſubductis omnium rationibus conſtitit, tam paucos ferme reperiri, qui ex Inſitione

---

p. 119. *Richardus Evans unus ex ſeptem capite damnatis, in quibus prima experimenta Inſitionis juſſu Regis Britanniæ capta ſunt an.* 1721, *cum anno ante Variolis naturalibus laboraſſet, morbum ex arte non ſuſcepit, etſi conſulto plura cutis loca cruciatim inciſa forent, & copioſiori quam in ſex reliquis, pure eſſent imbuta. Inciſiones neque inflammatæ neque dolentes ſexta die omnino ſanatæ ſunt. Hoc ſibi narratum aſſerit Auctor ab ipſo Maitland Inſitionum illarum adminiſtratore.*

p. 120. *Plures pueri jam antea Variolas artificiales paſſi cum aliis morbo naturali affectis per totum morbi decurſum eodem in lecto, & cubili verſati ſunt, neque morbum ſuſceperunt. &* paulo poſt. *Novi puellam BaKer, quæ poſtquam ab artificiali morbo convaluit, amica juvante, iterum inciſiones fieri voluit, ibidemque novum pus tribus ſucceſſivis diebus immitti. Octava die levis capitis dolor ſuboritur, pavida lecto componitur, rem ſuis aperit, ſed nulla febri, neque graviori ullo Symptomate, neque puſtulis prodeuntibus, ſtatim & dolore ipſo & metu omni ſoluta eſt.*

Has aliaſque obſervationes legimus apud KirKp. Analyſis of. Inoculation ſect. V. Edit. Londin. an. 1754.

Cl. Maty medic. Londin. Acad. Reg. Angl. Socius, nunc a ſecretis rem in ſeipſo expertus eſt. Nam abſque ullo effectu Inſitionem paſſus eſt anno ætatis ſuæ trigeſimo quinto, cum vigeſimo ſecundo naturalem morbum exantlaſſet. Vid. Journal des Scavans An. 1754. *& Condamin Mem. Prim. Hoc etiam affirmari ab ejus filio egometipſe audivi, qui forte hiſce diebus Patavium conceſſerat.*

Aliis etiam in regionibus eadem experimenta, & obſerva-

ne Variolas non ſuſcipiant, quam pauci ſunt, qui hujuſce morbi expertes conſeneſcunt (21). Conſulantur Tranſactiones Angli-

vationes eædem ſunt inſtitutæ. Nam Ant. Le Duc in Diſſert. de Byzantina Variol. Inſitione edita Lugd. Batav. an. 1722. *hæc habet.*

§. 34. *Dignum ſane, qui memoretur, caſum judico puellæ cujuſdam, cui prudens mater inoculandas Variolas curaverat: illa unicum dumtaxat pertuſionis locum tumidum, inflammatum, & Varioloſum habuit; cæterum nullam ſenſit ægritudinem. Timuerat mater effectu ſuo vacuam in illa fuiſſe Inſitionem, hinc operationem iterari poſt annum juſſit, ſed nulla tum etiam apparuit puſtula, & loca pertuſionis illico exſiccata ſunt, neque in Variolas abjerunt. Licet illa jam a tot annis Varioloſas conveniat, nondum Variolis correpta eſt, &*

§. 35. *Celebrata etiam fuit Inſitio in hominibus, qui olim Epidemice graſſantibus Variolis laboraverant, ſed pari cum ſucceſſu ac* §. 34. *nullæ enim repullularunt puſtulæ. Omitto alias & recentiores aliorum obſervationes idem confirmantes.*

(21) *Hoc aſſerunt Cl. Viri Tiſſot. in Epiſt. ſupra cit. Condamin. Mem. Pr. Xaverius Manetti* §. 41. Trattat. dell' Inocul. *Ex ſuis & aliorum obſervationibus collegerunt inter* 100. *Inoculatos*, 4. *nullum morbum ſuſcipere, ac totidem inter naturæ relictos* 4. *circiter ab hoc morbo immunes. Præ cæteris accuratiſſimas Tabulas confecit Jurinus ab anno* 1721. *ad annum* 1729. *Has & in Tranſactionibus Angl. & apud KirKpatrich. Sect. V. relatas legimus. Ex* 897. *Inoculatis in Pr. Tab.* 39. *Variolas paſſi non ſunt, & in ſecunda* 12. *ex* 282. *Inoculatis. Hoc etiam recentiores ob-*

glicæ, ibidem cumulatæ obſervationes, & enumerationes conferantur, conſignatæ libris Hiſtoriæ perlegantur, nihil a nobis temere pronunciatum unuſquiſque deprehendet. Quomodo autem, aut quo jure de tot doctiſſimorum hominum fide, & cumulatis experimentis nonnulli pervicaciores Inſitionis adverſarii dubitent, plane non intelligo, cum majores nobis ſuppetant, de contrariis, vagis, ambiguis, incertis, paucisque experimentis, ac levibus eorum conjecturis dubitandi rationes. Porro, uti ex adhuc allatis conſtitit neque minus actuoſam puris im-

obſervationes Senenſium, Florentinorum confirmant; & Peritiſſ. Colombani Med. Pyranenſis Epiſt. ad me conſcriptæ anno præterito; Has ad calcem operis invenies. Quod experientia confirmat, ratio ſuadet. Sive morbus ipſe omnem diſpoſitionem exhauriat, ſive naturalis conſtitutio nullam unquam præſtet, eadem ratio locum habet, idem ſubſequetur effectus poſt Inſitionem, qualem vidimus in Hiſtoriis Num. 20. allatis. Non inficiuntur iterum primi, nunquam fere inficientur poſtremi. Iidem humores, eadem totius corporis conſtitutio, quæ in primo caſu Pus inſitum extenuat & obruit, & iners reddit, eadem & in altero caſu, & idem efficiet.

immiſſi vim, neque imperfectam evolutionem in paratis arte Variolis locum habere poſſe, ac propterea redituri morbi metum evaneſcere, ita quæcumque ex commentitia illa opinione conſectaria ducuntur, per ſe concidant neceſſe eſt; præſertim cum, quæ de comunicatis una cum inſito pure aliis morbis effutiunt, & deſtituantur obſervationibus, & contrariis diluantur, & nimiam potius arguant puris injecti vim, quod iis repugnat, quæ alias objecerunt. Profecto morbi, qui contagioſi non ſint, nequeunt a pure illo communicari. Nam hæreditarii pendent a primigenia totius corporis conformatione, peculiari forte minimorum ſtaminum delineatione, prima latentis fætus nutritione, & a parentibus in liberos generationis ope propagantur, alii alia ratione, & via progignuntur: Quod ſi revera contagione ſuſcipi queant, vix crediderim, ut unius morbi ſeminium, dicam

cum

cum Meadio, *alterius*, *qui diverſæ ſit naturæ*, *genitalem materiam ſecum ferat commixtam*. Nam ſi ejuſdem morbi deterior, ac maligna ſpecies ex uno in plura corpora per Inſitionem traducta ſimilem ac pravam ſpeciem non traduxit, quod aliqua experimenta oſtenderunt (22), quanto minus ex Inſitione propagatio expectanda eſt aliorum ac plane diſſimilium morborum? Præclare etenim Meadius *plus mea opinione refert in quale corpus infundatur*, *quam de quali eximatur peſtilentiæ virus* (23). Inſanus tamen foret Medicus, qui nullo delectu habito ex quolibet corpore pus morbi-

(22) *KirKpatriK Sect. VI. aſſerit* 21. *inoculatos fuiſſe ejuſmodi pure educto a Variolis confluentibus*, *quibus laborans jam interierat; Inoculati omnes mites Variolas paſſi optime convaluerunt. Audacior Medicus Frovenius hæc experimenta ceperat, qui conſulto, & multo plura poſtea, & pari cum ſucceſſu inſtituit. Nemini tamen ego, aut quilibet prudentior idem ſuaſerit.*

(23) *Mead. C. V. de Inſit. Nam recte ſelecta aut optima præparata corpora ſuſceptum pus immutant, & ſpeciem morbi reddunt leniorem.*

bidum ſano inferendum præſcriberet, ut propterea accomodatiſſimæ ſint Infantum, cætera ſanorum, & a parentibus, quoad fieri poſſit, ſanis prognatorum Variolæ (24). Occurrunt nihilominus hic quoque experimenta non ad imitandum, ſed ad refellendum opportuna, pauca quidem & fortuita pleraque, ſed a præſentibus Medicis confirmata, inter quæ unum a Cl. Kirkpatrik relatum, nempe nobilem Puellam, cui pus injectum ad excitandas Variolas, idque traductum ex juvene, qui Variolis quidem diſcretis laborabat, ſed eodem tempore, uti certo poſtea conſtitit, & Gallico tumore ad inguina, & gravioribus luis ſymptomatibus conflictabatur, leniſſimum morbum paſſam eſſe, neque ullum adhuc ſuſcepti cum inſito pure alterius morbi indicium præſetuliſſe, etſi plures jam inter-

D ceſ-

(24) *Mead. Loc. cit.*

ceſſiſſent anni (25). Quid autem remotiora quærimus, ſi a propinquioribus monemur? Nam ex epiſtolis Cl. Colombani Medici Pyranenſis anno elapſo ad me conſcriptis compertum habui, non modo omnes, quibus Variolas inſeruit anno hujus ſæculi quinquageſimo octavo, nunc quoque optima frui valetudine, ſed aliquos ex iis etiam non ſatis florida ante Inſitionem, in-

(25) *KirKp. Sect. VI. pag.* 140. *Neque deſunt exempla iis in regionibus, in quibus ob communem Inſitionis uſum imperitiores aliquando illam exequuntur. Daniel Cox Colleg. Medic. Londin. Socius in Epiſt. ad Amicum Lond. edita an.* 1757. *pag.* 31. *hæc habet latine reddita. Quinque inoculati fuerunt pure educto ex corpore ſtrumis, Scorbuto, aliiſque Chronicis morbis affecto (quod poſtea compertum eſt); nemo tunc gravius aliquid paſſus, neque quidquam aliis morbis comune aut reliquum poſtea obſervatum, etſi ab Inſitione ſextus jam annus excurreret.*

Doct. James Burges Lib. de Inocul. C. 11. *Edit. Altera Londin.* 1766. *pag.* 13. *Novi, inquit, fæminam, quæ Xenodochium D. Thomæ petens, ut a lue Gal. ſanaretur, Variolis corripitur. Incurioſe quidam pus educit, eodem tres inſitiones peragit. Omnibus mitiſſimæ Variolæ prodierunt, neque inciſa loca ſolito gravius affecta. Duo adhuc vivunt, deceſſit tertius ex febre ardenti poſt plures annos. Nullum cutis vitium, nulla habitus corporis obſervata poſtea depravatio.*

integraque ſanitate gaudentes, optime nunc conſtitutos evaſiſſe. Neque inficior aliquos etiam poſt naturales Variolas tales extitiſſe, & a levioribus morbis perſanatos, ſed aut eorum non exæquant numerum, qui per diuturnioris naturalis morbi graviſſimas moleſtias mortem crebro minitantes hoc bonum aſſequuntur, qui interna vitia non amplius delenda ſuſcipiunt, qui deformantur, qui intereunt, aut cum eorum ſecuritate, & numero, qui ab artificialibus pari ratione convaleſcunt, minime ſunt comparandi. Præterea, ſi quis conjecturis locus in tanta experimentorum luce, non levibus tamen, ex eo potius naturales Variolas deteriores judicaverim, & relinqui miſerrimas ab iis potius labes pertimeſcerem, quod incertum ſit, unde veniant, quamdiu deliteſcant quo in corporis loco defigantur, quod tenuiſſimi illi contagioſi halitus naturales, huc illucque ducente aere, devecti, alienis for-

